

alia majora. Nam et virtutes et vitia cognoscunt; iratum, propitium; laetantem, dolentem; fortem, ignavum; audacem, timidumque cognoscunt. Auriumque item est admirabile quoddam artificiosumque iudicium, quo iudicatur et in vocis, et in tiliarum nervorumque cantibus varietas sonorum, intervalla, distinctio, et vocis genera permulta; candidum, fuscum; laeve, asperum; grave, acutum; flexibile, durum; quae hominum solum auribus iudicantur. Nariumque item, et gustandi pariter et tangendi magna iudicia sunt. Ad quos sensus capiendos et perfruendos, plures etiam, quam vellem, artes repertae sunt. Perspicuum est enim, quo compositiones unguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia processerint.

Cap. LIX. Jam vero animum ipsum mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non divina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur carere. De quo dum disputarem, tuam mihi dari vellem, Cotta, eloquentiam. Quo enim tu illa modo diceres? quanta primum intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis conjunctio et comprehensio esset in nobis: ex quo videlicet, quid ex quibusque rebus efficiatur, idque ratione, concludimus; singulasque res definimus circumscripteque complectimur: ex quo scientia intelligitur quam vim habeat, qualis sit: quae ne in deo quidem est res ulla praestantior. Quanta vero illa sunt, quae vos Academici infirmatis et tollitis, quod et sensibus, et animo ea, quae extra sunt, percipimus atque comprehendimus? Ex quibus collatis inter se et comparatis artes quoque efficimus, partim ad usum vitae, partim ad oblectationem necessarias. Jam vero domina rerum (ut vos soletis dicere) eloquendi vis, quam est praeclara, quamque divina? Quae primum efficit, ut ea, quae ignoramus, discere, et ea, quae scimus, alios docere possimus. Deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos a timore, hac gestientes comprimimus,